

כאלהים

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,

ECLIPSEOS LUNARIS

NATURAM ENUCLEANS,

Quam

BENEDICENTE JEHOVA,

Et

Applaudente amplissima

FACULTATE PHILOSOPHICA,

In Academia Aboënsi

SUB MODERAMINE

VIRI ADMODUM REVERENDI ET CELEBERRIMI,

DN. M. SIMONIS *T. A. P. O.*

Metaph. & Log. Professoris Ordinarii, Pastoris
in *Pictis* meritissimi & Consistorii utriusque
Adfessoris gravissimi,

PRO CONSEQUENDO IN PHILOSOPHIA GRADU
MAGISTERII,

In Auditorio Maximo ad diem 14 Maii Anni

M. DC. XCVIII.

Eruditorum examini submittit modestè.

ISAACUS P. LAURBECCHIUS,

Exc. apud JO. LAURENT. WALLIUM.

Isaacus Laurbecchius

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS

VIRO

SUMMÆ FIDEL.

SENATORI REGIO.

DICASTERII HOLMENSIS

PRÆSIDI,

UT ET

REGIÆ ACADEMIÆ ABOENSIS

CANCELLARIO.

ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO

COMITI,

DN. LAURENTIO

Wallenstedt

INSIGNI MUSARUM EPHORO:

DOMINO MEO BENIGNISSIMO,

PACEM! VITAM! ANNOS!

CELSISSIME COMES,
DOMINE GRATIOSISSIME.



Emolumenti quid redeat in universam non solum rem literariam, sed societatem humanam, ex illa scientiarum regina, & in Rebuspublicis summè necessariâ Mathesi, testimonio sunt, præter respublicas in toto orbe optimè constitutas, personæ Illustres quæ vel hujus scientiæ usui ac ope patriæ necessitatibus immensum quantum profuerunt, atque ad nominis sui immortalitatem firmis passibus sunt grassati; unde nec audiri meretur, quod vulgo jactatur, illustrium domos majorum tantummodo ornari imaginibus. Præterquam enim quod ipsa palatia constituerit, temperaverit, ornaverit ornetq; Mathesis, Ejus ope
&

& notitia ipsi instructi Domini, noverunt, omne quod vel ad reipublicæ commodum pertineat, vel ad gloriæ incrementum expediat, non sine summa laude expedire, fungi rite officiis a DEO & REGIA MAJESTATE concessis; porrigere præsidium oppressis, bonos tueri, improbos coercere, subsidia virtuti, terrorem vitiis, exitumque malis afferre: imo splendidum nomen posteritatis memoriæ relinquere, cum fama bona, quâ in his terris, me iudice, erigi monumentum perennius nunquam possit: quia famam, & honesti nominis decus, non livor edax, non aq̄vilo impotens, potest diruere, aut innumerabilis annorum series, fugaque temporis exedere. Quot heroum ac Illustrium famam custodit Matheleos studium & notitia insignis, quâ non de patria solum, verum etiam de cunctis nationibus, bene sunt meriti? Ultra commendare Mathesin coram CELSISSIMA TUA EXCELLENTIA tædiosum magis, quam jucundum existimo, cum CELSISSIMA TUA EXCELLENTIA, (ad quam sese mea convertit humilis oratio) non minus laudis tribuat divæ Mathesi, quam cæteris artibus virtutibusque heroicis, quæ in ILLUSTRISSIMA TUA EXCELLENTIA eminent & augustis micant radiis. Observata proinde ego hac ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ erga Mathesin Benigna censura, nec non in animum revocatis beneficiis, quibus beare soleas, assiduos Musarum cultores, minimus clientulorum, imitatus consuetudinem in Academiis receptam, venio submissione qua unquam possum devotissima, ad pedes ILLUSTRISSIMÆ TUÆ EXCELLENTIÆ de-

deponens cernuus hunc discursum Mathematicum; ac humiliter orans dignetur ILLUSTRISSIMA TUA CELSITUDO levidense munus clementer accipere, meque suo patrocinio defendere. DEUS rerum auctor omnium, ILLUSTRISSIMAM TUAM CELSITUDINEM, una cum ILLUSTRISSIMA FAMILIA conservet, protegat defendatque. Ita ex imo pectore, voveo ad cineres mansurus.

ILLUSTRISSIMÆ TUÆ CELSITUDINIS.

humilimus cliens

ISAACUS LAURBECCHIUS.

In Virum - Juvenem
Eximium ac Præstantissimum

DN. ISAACUM P. LAURBECCHIUM,

Sobriæ Philosophiæ Candidatum omni-
nò strenuum,

De ECLIPSI LUNARI, pro summo in Philosophia Gradu
indipiscendo, solertè Disputantem, Amicum &
Commilitem sincerè dilectum :



teneris, ISAACE, tibi arrisere Camæna,
Nec non Aonii Turba novena jugi.
Id satis edocuit tua Disquisitio, quam me
Præside, scripsisti, sedulitatis amans;
Signi & Signati naturam quæ patefecit,
Ingeniique boni, quæ documenta dedit.
Nunc quia perpoliis sapientia, nobiliore
Ti vacuos, cerebri, Notitiâ torulos;
Altius ascendis, rimaris docta Sophia
Nempe Mathematica, mira reperta sacra.
Detegis Eclipsis quid sit Lunaris & ejus
Quenam sint cause, quæ comitantia sint.
Cepisti gnarus ceu, Pimpleas adamare,
Pieriumque chorum sedulus usque sequi;
Pergito, de reliquo, felix in commoda multa
Jucunda patria, dulcisonumque decus !!!

L. Mq; utut valdè festinatè
scripsi

SIMON TILP/

Met. Log. Prof. Ord. P. P.

Muneris ætatisque summâ reverentiâ, ac solidi-
simæ Eruditionis famâ celebratissimi Parentis
strenuo Imitatori Filio,

D^N. ISAACO LAURBECCHIO,
Philosophiæ Candidato meritissimo,

Fautori & Amico honorando.

Lumine Luna sui Solis seclusa laborat:
Et Solem Lunæ corpus obumbrat iners.
Hei mihi! cum vasta hæc patiantur lumina
noctem

Qvi mens nostra queat nocte vacare sua?

Hanc tamen, exemplum ad patrium, vicisse labo-
ras,

Quum jungis studiis noctibus ipse dies.

festinâ manu relinqdeb.

TORST. RUDEEN.

Ad Clarissimum,

DN. ISAACUM LAURBECCHIUM,
Philosophiæ Candidatum meritissimum, Amicum
singularissimum juxta ac æstumatissimum,
PRO HONORIBUS MAGISTERII in philosophia adipiscendis,
de ECLIPSI LUNARI Eruditè ac solerter disputantem.

Fortibus atque bonis fortesque bonique creantur,
Nec facile a proprio decedit stipite pomum:
Et nunquam auditum est, aquilam generare columbam:
Sic res natura sequitur sua semina quæque
Quare quando habeas Patrem Virtute Peramplum
Hinc simul egregium ducti, Vestigia Patris
Laudati legere, & tamen servare Tuorum
Perplacuit Tibimet Vigili studio atque labore
Nocturna versare manu pariterque diurna
Phæbeas artes, & numina visere Pindi.
Ut tandem sacrâ redimitus tempora lauro
Spectes aternæ mentis peramana vireta,
Claris quæ faciunt Victurum Nomen Alumnis.
E studiis solidam sic captas nominis auram,
Et casus superare graves pernice labore.
Et quia non pridem te Examina docta virorum
Clarorum Excussere satis, non absque decore
Præmia magna dein Tibi sint: sed gloria major
Ecce Tuo Capiti parva est; Te digna Corolla
A musis nexa est. Unde & Tibi munera larga
Jam modò contingent, quæ post memorare licebit.
Namque instat Tempus, quo præmia digna reportas.
LAURBECCHI, nil addo; DEUS fortunet honores
Ipse Tibi, & faciat succedent Omnia Potis!

JOH. AGRELL.

P R Æ F A T I O.



um hominum animis planè inſeum
 ſit, ut generalium quaſi campis li-
beris, magis, quam Specialium ſylvis
& ſeptis delectentur, nihil reſertum
 natura gratis ac jucundius, ſcien-
 tiis Mathematicis, qua circa numeros
 & magnitudines rerum verſantur,
 quo appetitus iſte expatiandi & me-
 ditandi ſatietur: Admodum ſanè utilis jucunda & neceſſaria
 eſt diva Matheſis, non ſolum ad omnes reliquas artes ac
 ſcientias percipiendas, qua ſororio quaſi vinculo cum illa con-
 nexa ſunt, ab eaque in omnibus dependent; verum etiam
ad omnem vitam civilem commodius degendam; Hoc pluri-
 bus perſequi verbis opera pretium minimè putamus, nam
 de hoc mathematicarum ſubtilitatum periti nulli dubitant.
 Fecunditas Matheſeos & Mathematicarum rerum contempla-
 tionis, eluceſcit ex rerum circa quas occupatur Matheſis ad-
 mirabili harmonia ac eleganti conformatione, quâ omnia ſunt
 condita numero, pondere & meſura, atque ex fructibus mi-
 nime contemnendis, qui ex Matheſeos contemplatione perveni-
 unt; Tanta cum utilitas Tantaque jucunditas Mathematices
 ſit, quis ejus in amorem non feretur? Quem non moveat
 & alliciat ſua ad contemplanda ſacra? Omnis cui rectum ſin-
 cipus & qui non geſtat cerebrum in Calcaneo, eam extollit,
 ſummo niſu ſtudet ejus adire ſacra, illamque æſtimat præ
 gemmis, auro & argento. Hujus non ſolum eſt una progenies,
 ſed integra familia partesque variez; quæ tamen tam arcto
 vinculo cognationis junctæ ſunt, ut una abſque altera nec
 debi-

debito ordine disponi, nec cum aliquo fructu addisci possit; quarum ordinem, numerum & constitutionem investigabimus. appellantur vulgo, Scientia Mathematica, quae in quantitatis natura, hac sub ratione formali, quatenus est extensa, explicanda occupantur. Tamen si quantitas accidens sit & inhaereat corpori physico ob meritum materiae, vel ut alij dicunt, eum eodem concreta sit, & sic spectata, corporis naturalis essentiam sequitur, vel eandem afficit ut affectio, tamen in Mathematica non ut inherens, nec ut affectio corporis physici, sed ut subiectum consideratur, b. e. ratione extensionis, quae eadem determinata est, habet proportionem aequalis & inequalis; cui conveniunt affectiones & accidentia. Quantitas ut obiectum constituit, considerari potest ac debet universim, b. e. in statu praecisionis, & speciatim b. e. restricte. Ibi pensanda est quantitas prout abstrahit a magnitudine & multitudine, seu a quantitate continua & discreta; Conveniunt autem illi sc. quantitati sic consideratae, quam plurimae affectiones, ratio formalis diversa, itemque principia quae nulli in specie quantitati nec continuae nec discretae aequae conveniunt, sed utriusque simul, & non minus uni quam alteri. Principia vero ejus complexa haec sunt, Judice Petro Laurembergio: Totum est majus sua parte: aequalibus si aequalia addideris, quae proveniunt sunt aequalia &c., quae tam magnitudini applicari possunt, quam numero. Affectiones quod attinet, sic sunt: contactus, quae minimum unius attingit minimum alterius; proportio, quae est plurium rationum inter se habitudo; proportionalitas, aequalitas & inequalitas. Adducta nos movent ut statuamus aliquam dari universalem scientiam Mathematicam, cum sua possideat principia, suam rationem formalem obiecti, suasque affectiones generales de quantitate praecisa absolute

*demonstrabiles: Prorsus ad exemplum Ethices, quam philo-
sophis novimus dici disciplinam communem, quæ hominem
instruit ad virtutem absolute, non habita ratione, vel civi-
lis, vel domestica vitæ. speciatim vero, sub considerationem
venit numerus & magnitudo, seu quantitas continua & dis-
creta; Hac tractari possunt vel simpliciter & pure, vel secun-
dum quid & cum accidente aliquo. De numero simpliciter
agit Arithmetica. De Magnitudine simpliciter Geometria,
cujus particula est Trigonometria. Numerus consideratus non
simpliciter, sed cum accidente aliquo, varias genuit discipli-
nas. Uti cum sono & harmonia Musicam, cum tempore chro-
nologiam. Magnitudo itidem concepta non simpliciter, sed cum
accidente aliquo variarum disciplinarum mater est. Magnitu-
do tractatur vel in motu cælesti, circa quem versatur Astro-
nomia, cujus epimetrum est Astrologia Judiciaria. Vel cum
effigie & distinctione globi terrestris, constituit Geographiam;
vel conjuncta cum colore & cum luce respectu ad visum, opti-
cam. Demum cum differentia certa positionis. Gæodesiam, cu-
jus appendix est urbium fortificatio; Ultimo cum pondere Sta-
ticam. Inter disciplinas cum adeo certum sit dari subalterna-
tionem, præcipue Mathematicas, quæ sunt hac vice nostræ
considerationis, paucis disquiremus de subalternatione; Sub-
alternatio inter disciplinas datur cum subjectum subalterna-
tæ, contineatur directe sub subjecto subalternantis & finis sub-
ordinatur subalternantis fini per se, non vero per accidens, pa-
riterque addat differentiam accidentalem subjecto subalter-
nantis, quæ differentia accidentalis, in subalternantis, non e-
rit ibidem modus considerandi principalis, sed assumitur ut
conditio secundaria & ratio quedam applicandi principia
subalternantis. In medium prolata conferens cum Mathema-*

ticis scientiis, reperio in Mathesi dari quasdam disciplinas
 rigorose subalternatas. Harum vulgò constituuntur duæ, Musica
 & optica, quarum illa Arithmetica, hæc Grammmetria sub-
 jacet, a quibus & subjecti, & eorum quæ subjecto insunt ra-
 tione dependent. Verissimè sane, at insufficienter tamen, nam
 Musica objectum numerus sonorus, subjecto Arithmetica ac-
 cidens, addit sensum auditus afficiens. Optica Grammmetria
 subjecto linea determinationem apponit, ad visum spectantem,
 lineam contemplans quæ visiva. His succenturiatur Statica,
 Stereometria objectum corpus accidentaliter restringens ad
 ponderositatem, qdaltatem tactilem. Conducit, his discussis in
 limine, ut properemus ad ea quæ nostri sunt instituti. Astro-
 nomia præ cæteris hæc sola obtinebit laudem, quod sit doctri-
 na cum jucunditate quadam, rationem metiendi situs, motus
 distantias ac magnitudines superiorum sive cælestium visibi-
 lis hujus mundi corporum, præscribens. Hujus discipline duæ
 sunt partes, prior versatur in circulis & motu primi mobi-
 lis explicando. Posterior indagat planetarum & cælestium
 pbenomenon cursum, Numerum, situm, passiones, causas-
 que. Præcipua Theorica contemplatio cum sit Eclipsum tam
 solarium quam lunarium, in animum cecit mihi disputatu-
 ro, ut eligerem in Materiam disputationis doctrinam de Eclip-
 si Lunari, quam sic auxilio adjutus divino explanandam af-
 sumam, quam brevissimè, tenues ingenij vires quantum per-
 miserint. Pq̄s sic suspiriis precor, divina ut collustretur opus
 gratia, Deusque conatibus benedicat meis, cum Davide orans:

אֲנִי יְהוָה הוֹשִׁיעָה נָא אֲנִי יְהוָה הַצְלֵחַה נָא

MOMENTUM PRIMUM.



Philosophi omnium temporum, summo studio laborarunt, omnes ut eruditi in re omni suscipienda methodicè procederent; Methodi quia insignis utilitas, ut quod anima est homini, illud est Methodus atque ordo in Artibus & Scientiis. Absque illa qui discunt, ii movent se quidem, sed nihil promovent; seu quod Platonis verbum est: καλῶς μὲν ἐκείνη τρέχουσιν, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ ἴσου ὄδῳ. Velut periclitari necesse est navim suborta tempestate, nisi pyxide magnetica instructa fuerit: Ita discantium animi absque Methodo raro portum attingunt studiorum. Contra, Quemadmodum Archimedes solus machina non magna, vastissimam ponderum molem sustulit, in quam absque consimili artificio, bis mille viri nihil poterant; Ita is qui Methodo legitima aggreditur, aut disciplinam, aut aliud, facilimo labore ea præstabit, tantumque in iis proficiet, quantum absque Methodo alii multorum annorum spatio, & improbo labore tamen vix assequuntur. In omnibus Methodi usum esse insignem, non inepte censuisse illos, invenio, de Eclipsi Lunari disputaturus, quia proficere nihil possum, in hac materiâ discutienda, nisi Methodicè progrediar, & juxta philosophorum monita quæstionem An sit? & quid sit? eventilem. Quamquam de Eclipsium certitudine omnes dextrè judicent, ut nullus quæstionem An sit in dubium re-

vocet, tamen ne alicui maneat scrupulus, Placet pro
 existentia Eclipseos Lunaris hunc in modum infer-
 re. Datis causis principalibus, necessario sequitur Ef-
 fectus, at datur hic Sol, Luna, umbra Terræ, & dia-
 metralis oppositio, ergo sequitur Lunam Eclipseari.
 Major sua luce radiat, Minor ex sequentibus patebit.
 sic a quæstione An sit? recta ut ajunt via, descendam ad
 Quid ditativam Eclipseos Lunaris cognitionem. Circa
 hanc notanda veniunt Definitum & Definitio ipsa. De-
 finitum complectitur Etymologiam, Homonymiam &
 Synonymiam. Etymologiam quod attinet, sic constat
 omnibus qui primis, ut ajunt, labris gustarunt de Heli-
 conis fonte: Vocabulū Eclipseos ἡ κλῆσις esse Græcum,
 ἡ κλῆσις vero factum latinum, vel ex metropoli Græ-
 ca tractum in coloniam latinam & civitatis jure
 donatum. Descendit itaque a Græcorum præpositio-
 ne ἐκ, & verbo λίσσω. unde compositum est nomen
 ἐκλειψις. Notationem datam suo cum notato conveni-
 re, infert ipsa rei præsentis quidditas. Consonat etiam
 cum hac Etymologia, Hebræum קדר a radice קדר i. e.
 obscurare. Hinc Hebræi Eclipsein vocant לבנה קדר
 Proverbium inde etiam enatum illis. קדר נקדר h. e.
 Eclipsein luminis pari. Rata & firma omnibus licet
 videatur, ut etiam revera est, Etymologia, jam de-
 monstrata, a quibusdam tamen in dubium revocatur,
 ob objectum quod obscuratur, sive lumen illud. An
 sit Lunæ proprium vel an omne mutuetur a sole?
 inter se disquirunt. Litem quomodo componam du-
 bius hæreo, clarissimos cum videam in varias ab-
 visse sententias; Nemini litem movebo, defendant
 alii

alii quod volunt, tamen cum illis faciam, qui Lunæ aliquod tribuunt lumen, & illud dicunt cum a Sole mutuo accepto obscurari. Certum quidem est, & probabile lunam evidenti & tam lucido, quam emittet Sol, lumine carere, illudque quod habet quando defectum patitur solari corpori competere; nisi a Sole illuminetur, siquidem semper dimidius Lunæ globus, is nempe qui Solem respiciat, illuminatur a Sole, altera tamen medietas quæ a sole averfa est, manet obscurior, quam altera a Sole illuminata. Tamen exinde non sequitur, Lunam vernaculo & quidem omni carere lumine, siquidem luna est stella, stella vero est lucida, cum nihil aliud sit quam lux condensata. Præterea deprehendimus lunæ implantatum esse divinitus aliquod lumen, licet nostris illud non observamus oculis, nisi illud velut exile excitetur a Sole, præcipuè vero in Plenilunio, cum perfundatur aër lumine lunari, & quidem luna propioribus novilunio diebus, & imprimis si lux crepusculinâ vesperi sole sub Horizonte profundius demerso, diminuta sit, radiat aliqua luce, & quidem propria. De hac re differit Galilæus Galil: in Dial. De Systemate Mundi. Haud raro etiam in propioribus novilunio diebus, Lunam tanta gaudere luce, ut Saturni videatur æmulare lumē. Hoc itaque lumen non habet a Sole, sed est ei concreatum, quia incrementum usque ad plenilunium est factum a sole; partim quia constat lunam deficientem, in defectu tamen conspicuam esse; partim quia in Eclipsibus Solaribus Sol a Luna tegitur ut non lumen, accipiat, Sed soli subsit ex ea parte, quam solis radii at-

tin-

tingere eam non possunt, nihilominus luce aliqua radiat, haud exigua. Videatur præterea Vinshemius Part. iv. Quæst. Sphæricarum pag. m. 304. de hac re. Huc accedit illud, quoque quod Genes. cap. i. v. 15. Vocatur luminare minus. Discussis Etymologis quæ fuere, ad æquivocationis considerationem accessum faciam. Homonymiam, non sine causa errorum genitricem appellarunt, quia conceptus turbat in arenam disputatoriam descendendum, sistendo nihil certi; Idcirco necessum habeo varias acceptiones Eclipsos aperire, ne in schyllæ scopulos impingam. Accipitur (α) late apud Quintilianum lib 8 cap 9. *pro defectu & omissione in oratione. Latissimo (β) significatu usurpatur apud Plutarchum lib: de defectu Oraculor: quæ denotat defectum cuiuscunque rei, sive panis, sive sermonis.* Medicis sumitur (γ) *stricte, quando agrotum ἐκλείπειται i.e. animo deficere dicunt.* Hinc etiam vox Eclipsis, quæ videtur e schola Medicorum in astronomiam translata; quia dicitur Luna Eclipsando deficere, ac veluti morbo laborare, eo planè sensu quo Medici dicunt ægrum deficere animo. Exinde veteres; teste Livio lib: 26. Tacito annal. i. de Romanis, & Maximo Taurinensi Ep: de quibusdam Christianis. superstitiosi, lunæ deficienti & ita laboranti, succurri putarunt, vociterationibus, clangore tubarum, & pelvium ænearum tinnitu, quemadmodum excitari solent ægri syncope, vel lethargo oppressi. Adhuc strictius à vulgo Mathematicorū accipitur, cum, stellas occultatas deficere statuunt, illud fit

vel cum luna omnes & plurimas fixas circa Zodiacum regit, accidit hoc vero, singulis diebus, cum in Zodiaco luna interposita sit stellæ & oculo videntis, vel cum tam fixæ quam Planetæ, pro ratione latitudinis ab inferioribus regantur. Venit (ϵ) strictissimè pro obscuratione duorum corporum Solis & Lunæ. Uterius sumitur propiissimè pro defectu lunaris luminis, quod *revera & realiter* deficere luminando certissimum est. Ultimam, ut nostro instituto conformem, præ aliis modò enumeratis retineam. Delibatis sic penitus quæ pertinebant ad Etymologiam & Homonymiam, ad tertiam definiti partem Synonymiam sc. memet conferam. Synonyma Eclipseos Lunaris, non tam ratione Etymi, quam significati cum Eclipse cognationem alunt. Reciprocantur enim cum Eclipse simpliciter; pro diversa habitudine reduplicationis. Reduplicatio Synonymorum fit vel ratione essentialis, vel ratione suppositi, priori modo convertuntur Synonyma, quæ eandem involvunt essentialiam adeoque simpliciter converti dicuntur, eiqve æquipollent omni modo. Ut obscuratio lunæ, defectus, deliquium luminis Lunaris, interpositio terræ inter solem & lunam. Posteriori modo convertuntur attributa, quæ in tot reperiuntur suppositis, in quot res ipsa & æquipollent ei certo modo. Ut privatio luminis lunaris, tenebræ *puræ* Hebræis; cum aliis ejus generis.

B

MO.

MOMENTUM SECUNDUM.

Fxtra pulveris jactum positum spero, considerato Definito, cum sibi adhærentibus requisitis, disquisitioni subjiciendam definitionem ipsam esse, rei jam ventilandæ. Quamobrem mox ad ejus tractationem descenderem, nisi prius quinque Hypotheses, quibus tota fulciatur doctrina Eclipsium lunarium in medium proferendæ essent. Harum prima est de magnitudine Trium corporum, Solis, Lunæ, & Terræ, quæ colligitur ex parallaxibus, consideratis tam in Zodiaco, quam in Circulo verticali. Unde Sol apprehenditur Terræ magnitudinem continere, centies sexagies sexies cum tribus octavis, ita ut se terræ habeat sicut 1331. ad 8. Lunæ autem magnitudinem terra in se trecies novies cum triginta octo centesimis vigesimis quintis, ita ut Luna se habeat ad Terram sicut 125 ad 4914. Secunda est de lumine, lunari, quod illud luna quoad partem a sole sumit. Tertia de qualitate corporis, quæ obstaculo est, quo minus luna illuminetur a sole. Hoc vero sc. corpus debet esse opacum, ut radii solares penetrare non possint; Cujusmodi sola Terra est. Quarta de qualitate corporis lunaris; quod crassum & opacum sit adeò quidem, ut instar speculi, lumen a sole acceptum retorqueat, non autem transmittat. Quinta & ultima de umbra Terræ; quod nempe Terra in oppositione luminarium directè in Eclipti-

pticam, aut locum non procul ab Ecliptica remotum
 projicere possit umbram conoidalem. Positis in
 primordio hisce, ad definitionis eventilationem
 monente nontantum natura, Methodo & Ordine re-
rum, verum etiam Cicerone lib. primo officiorum.
 Ubi dicit. *Omnis institutio, quæ suscipitur ex ratione de*
aliqua re, a definitione proficisci debet, ut inselligatur quid
sit illud de quo disputatur; animum convertam, in me-
 dium adducens ipsam definitionem; Quam nobis ex-
 hibet Herlinus Astron: lib: II. cap. I. & pag. m. 387.
Eclipsis lunaris est privatio Luminis lunaris, a sole mutuo
accipiendi, quæ sit objectu Terra in diametrali solis & luna
oppositione. Controvertitur inter eruditos accidenta-
 lium & contingentium, num detur definitio; præ-
 cipue vero An Eclipsis lunaris definiri possit per-
 fecta definitione? cum sit accidentalis & contin-
 gens, de contingentibus vero circumferuntur
 Philosophorum dicta: quod *De futuris contingentibus*
non sit determinata veritas. itera. Singularium & contin-
gentium non est scientia & definitio. Ad adducta respon-
 deo. (1) concedendo (2) Eclipsin lunarem partici-
pare de natura accidentium, & (β) species solas,
 definiri definitionibus absolutissimis & accuratissimis.
 Præterea dantur etiam definitiones in suo genere,
 perfectæ, quæ accidentibus neque denegantur (2)
 urgendo perfectam dari definitionem Eclipsios Lu-
 naris, quanquam accidentis, quippe admittit defini-
 tionem genere & differentia specifica constantem,
 quibus requisitis datis, perfecta datur definitio

3 distingvendo (α) inter definitiones absolute perfectas & secundum quid, vel in suo genere. Eclipsium lunarium non datur definito perfecta accurate, sed in suo genere. (ζ) inter contingens fortuitum, & casuale, & immutabile distingvendo, de hoc, non de illo potest dari determinata veritas, aut certa notitia & definitio. (γ) inter contingens in actu signato & actu exercito consideratum. Illud defini & certis præceptis delineari potest, hoc autem non. Si æqua ut ajunt lance perpendam naturam Eclipseos, reperire licet, quanquam accidentalis sit & contingens ratione subjecti, necessariam esse, non absolute, sed secundum quid & ratione causæ.

Circa allatæ definitionis prædicatum, notandus est conceptus convenientiæ & disconvenientiæ. Convenientiæ seu genericum quod attinet: exprimitur in definitione, voce privationis. Quæ genus aptius institui nullum posse patet. exinde (κ) Cum sit in eodem prædicamento, privatio & habitus.

Nimirum privatio collocatur in prædicamento qualitatis æque ac Lumen. (δ) prædicetur æqualiter de suis speciebus, nimirum Lumine, Sole, Luna, &c. Non æqualitate proportionis & omnimoda, sed secundum quid tali, seu æqualitate comparisonis. Differentialem seu disconvenientiæ conceptum reliqua quæ in definitione sequuntur, exhibent, & præcipue tamen petitur. (α) ab objecto. Nam Eclipsatur Luna lumine mutuatio, cætera corpora cælestia proprio. (β) Causa: Luna deficit interposito terræ,

ræ; quæ projicit de se umbram conoïdalem in corpus lunare: juxta Opticorum axioma: *Umbra projicitur in partem luci oppositam, lucidis terminata radiis; diametraliter oppositis Sole & Luna.* Sol vero, in conjunctione Solis & Lunæ eclipsatur. Differentia ulterius illustratur his apposis, quæ sequuntur. 1. Sol interdum in quolibet Horizonte, Luna noctu tantum ibidem visibiliter deficit. 2. Sol novilunii sive conjunctionis, Luna plenilunii tempore, sive oppositionis, sensim deficit & restituitur. 3. Sol rarius, Luna sæpius totaliter deficit. 4. in universon, Tamen Solis crebriores, quamquam non ita sæpe conspiciantur, quam Lunæ Eclipses sunt. 5. Lunarium ubiqve terrarum, quibus Luna deficiens conspicitur, eadem est magnitudo, idem durationis tempus, idem diei naturalis momentum, quamvis sub diversis meridianis, diversimodè numeratum. Sed in Solis Eclipsibus una eademqve, alibi partialis in borea austrina, in austro boreali, totalis minorve, alio atqve alio temporis momento incipiens ac deficiens, alicubi brevius, alicubi longius durans; quin & alicubi omninò nulla: 6. Luna obscurata nihilominus aliquando cernitur colore rubro, subfusco & nigricante. De Sole autem quod deficit, totum absconditur. 7. Eclipses Lunæ in vera Solis ac Lunæ oppositione contingunt, sub nulla vel exigua, vera tamen ejus latitudine. At Eclipses Solis contingunt non in vera, sed visibili duntaxat, & apparente conjunctione Solis & Lunæ, cujus latitudo etiam

iam non est vera, sed apparens; quoniam Sol ipse cum a Luna obscuratur, nihil patitur, sed lumen suum retinet, tantumque per interpositionem Lunæ amovetur ab illis terris, e quibus fit respectus ad apparentem luminariū conjunctionem. Differentiæ enucleationem suscipit causarum eventilatio. Causa principalis est DEUS, qui in origine mundi, cum elementa mundi esse inciperent, ordinavit ut hæc luminaria magna Sol & Luna, suis temporibus per causas divinitus ad talem effectum producendos conditas & constitutas deficerent. Minus principalis est Diametralis Solis & Lunæ oppositio; quæ accidit cum luminaria in codice sacro appellata magna, secundum longitudinem & latitudinem opponuntur, h. e. cum linea educta è centro mundi, transit per centrum Solis & Lunæ. Hinc est quod singulis mensibus non fit Eclipsis Lunaris, quia non in quolibet mense est Diametralis oppositio. Præterea contingente Eclipsi Lunari, diametraliter oppositis sole & Luna, necessum erit, sub ipsum verum plenilunium vera latitudo Lunæ, minor ut sit apparentium diametrorum Lunæ & umbræ; ideo tum Luna subibit ut jam dictum, Eclipsin. E. G. Anno 1601 die 29 No-

/ //

vembris hora 7. sc. 35 46. juxta meridianum Regii Montis in Borussia, ad quem supputatæ sunt tabulæ prutenicæ, sub tempus veræ oppositionis ☉ & ☾.

/ //

Apparens semidiameter Lunæ, erit 17. 49. apparens sem

semidiameter umbræ 48. 48. summa 16. 37. At lati-
tudo Lunæ adversus septentrionem erat non nisi

32. 12. Ergo Luna tum subivit Eclipsin, si vero
major, non subiit. Ut E. G. Hoc Anno 1698. die
Aprilis 13. Luna erat capiti Draconis proxima; cum

plenilunium inciderit in hor: 5. 25. 17. ante meridi-
em. I. G. 20 M. intra terminos Eclipticos, qui prope

sunt ad nodum ascendentem Ω . fig. II. 14. Grad. &
fig. 0. 15. G. 12. M. cum ejus motus latitudinis est

fig. 0. 13. 52. 20. sed cum latitudo lunæ 1. Grad. 22.
M. sc. borealis, sit circa tempus veri plenilunii
major summa Semidiametrorum Lunæ & umbræ.

58. 45. Sic Luna defectum non patitur. His in tra-
ctandis cum occuper, placet pauca disquirere de
plenilunio Ecliptico; Plenilunium est Eclipticum, cum
Luna, juxta motum medium longitudinis propius quam

13. 12. in mediis pleniluniis abest ab ipsis nodis, cau-
da vel capite draconis. Contingunt enim Lunæ E-
cliptes, circa $\&$

Si Anomalia latitudinis

fig 0 1
{ supra 5. 14. 48.
{ infra 6. 15. 12.


Circa $\&$ si Lunæ in \circ media sit

{ supra 11. 14. 48.
{ infra 0 15. 12.

Me-

Melioris intelligentiæ gratia consideret B. L. sequens Schema. Sit circulus Solis vel umbræ.

A. B. C. summa semidiametrorum Solis & Lunæ vel umbra & Luna D. L. & sit latitudo luna primam D. H. Deinde DE. Manifestum est si latitudo Luna sit D. H. nullam fore Eclipsin. Circuli enim L. K. & I. C. nusquam concurrunt. At si latitudo Luna sit DE fiet. Circuli enim F. G. & B. C. concurrunt.



causa instrumentalis vero, siue rectius, causa siueqva non Eclipsæ, est umbra terræ cum aëre caliginoso conoidalis figuræ. Hæc interposit Lunæ & Soli, non tantum ob soliditatem transitum solarium prohibet radiorum ad Lunam. Verum etiam cum caliginoso aëre umbram caliginosam in partem Soli oppositam projicit; qua sic involuta Luna deficit suo lumine. Ad probandam umbræ figuram conoidalem esse, fert mihi superpetias Opticæ. Sphæricorum corporum Trina esse docemur ex opticis quæ per interpositionem avertitur densi corporis lumen oppositionem prima dicitur καλοειδής a figura inversa turbinis, Hæc fit cum corpus opacum sit, corpore lucido

SM

mas

majus. Alteri nomen est *κυλινδροειδής*; quæ projicitur æquali crassitie in corpora, accidit vero hæc oppositio, cum diameter corporis opaci, æquet diametrum corporis luminaris. Tertia vocatur *κωνοειδής*, ab inæquali crassitie, est enim crassissima prope corpus opacum, quo longius ducitur eo longius attenuatur. Figuram calathi, multo minus cylindri, terræ umbram repræsentare cum Eclipsetur Luna, verum conici, præter id quod extra aleam controversiæ positum sit, probare argumentis conabor ab Experientia petitis. Constat etenim experientia quotidiana (a) Lunam altius in suo eccentrico constitutam, terræ umbram citius præterire, & interdum nullam Eclipsin pati. At si locum haberent umbræ figura *καλαθοειδής* & *κυλινδροειδής*, omnes defectus, Lunæ aut inter se essent æquales, aut Luna quo remotior esset a terra, tantò diutius terræ umbræ involveretur. (β) Solem esse longe majorem terra, & Lunam quo occupat in Eclipsi altiorem locum, eo citius umbram transire: umbram denique tandem in acumen desinentem, evanescere, quod non accideret, si vel calathi, vel cylindri figuram referret. ulterius adstruitur allata hypothesis ex totalibus eclipsibus: testantur etenim totales Eclipses ac ostendunt Lunam diutius quam aliàs in umbra terræ commorari, cum sit vicina nodis sive interseccionibus in suo deferente, quod minimè fieret nisi umbra esset figuræ conoidalis. Præterea observanda erit circa conicam umbræ

terrenæ figuram, tam longitudo quam motus umbræ. Umbræ conum quod concernit, sic non est ejusdem semper longitudinis, quia elongatur, si Sol sit in perigæo, abbreviatur si idem sit in apogæo; invenitur vero hæc longitudo umbræ hoc modo. Ut

1865

differentia semidiametrorum terræ & Solis 4100000 ad elongationem Solis 1150. Semidiametrorum terræ: Ita enim 1 semidiameter terræ ad 275. Semidiametros Terræ, longitudinem umbræ quam proxime, ab hac longitudine umbræ si subducatur, Elongatio Lunæ media 60 semidiametrorum terræ. Relinquitur 215 semidiamet. Fluit itaq; hinc, apicem longissimæ umbræ extremū, non excedere 208 Semidiametros terræ; & apicem ordinarium, ut plurimum continere 215 Semidiametros. Ad motum umbræ conicæ quod attingit, sic movetur, moto corpore lunari localiter, ac novam umbram producit, in locum antea lucidis terminatum radiis, juxta Opticorum axioma: Umbra sequitur motum sui opaci. Ad rem præsentem satis accommodatè, loquitur Marcus Manilius in suæ Astronomiæ lib: 4. ubi dicit:

Causa patet, quod luna suis sic deficit astris;

Orba sui fratris noctisque immersa tenebris.


Quantquam tot retro seculis pro certissimo habitum fuit ac creditum - Lunam obscurari umbræ Terræ interposito Soli & Lunæ, Tamen hisce temporibus in dubium illud revocare quidam sustinuerunt; quo-

quorum Antesignanus est Excellentiss. Mathematicus Keplerus, qui imprimis sese huic sententiæ opposuit, argumento tamen minimè contemnendo, Hoc sc: Radii extremi, qui umbram terminare debent, infringuntur duabus vicibus, primo in densiori medio sc. aëre ad perpendiculum; postea inde exeuntes iterum in rariori medio, nempe æthere a perpendiculo; hi sic positi ac ubique coeuntes umbram terrenam acuunt & deturbant, adeo ut Lunæ Sphæram pertingere non possit. Mucro hujus refractæ umbræ, non est longior 43 Semidiamentris terræ. (cum aliàs tamen illa refracta ad 268 Semidiamentros se extendere possit) Luna autem licet perigæa, minimum tamen a nobis 54 terræ abest. Proinde aliud quippiam detur, quod Lunam lumine suo privet, nimirum aëris umbra. Nam quamvis sit pellucidum corpus aër, opacum tamen quippiam ipse aër etiam continet, præsertim circa limbum; ut omnis globus pellucidus circa extramitates tenebriofior apparet, proinde umbram spargere potest, non quidem in se ipso, sed in rariori s. æthere. Hanc (dicant quid velint alii) Tamen cum nihil proferat rectæ rationi & sanæ philosophiæ contrarium, Quamvis nova & inaudita sit, conjungens cum proximè allata; meam *hæcicè* faciam. Ex his non difficile est judicatu, de termino in quo & a quo eclipses Lunaribus, & qua ratione Eclipses in Ecliptica fiunt. Terminus in quo vel Materia in qua est Ecliptica; Hanc Mathematici describunt per circu-

lum majorem in medio Zodiaco *consistentem*, qui in duas æquales 8 graduum spatio definitas partes dirimit Zodiacum, quem Sol motu suo annuo, Luna vero quolibet mense, describit. Obscuratur itaq; Luna suo lumine, constituta in hoc circulo vel prope illum, in ipsis nodis, capite vel cauda draconis; vel intersectioni punctis. Clarius: accidit Eclipsis, Luna in suo Eccentrico existente, qui defert augem secundum superficiem ejus interiorem, ita ut modò dictum fuit, vel in ipsis nodis, cauda vel capite draconis, sive in punctis intersectionum sui circuli, sub nadir Solis, vel non procul ab illis Luna existat, si vero vage-
tur Luna ad latus Eclipticæ longius tempore plenilunii, quod fit Luna existente in orbe deferente augem, qui secundam superficiem exteriorem est mundo concentricus & cum poli Eccentrici declinant a polis Eclipticæ 5. vel 15. grad. necesse est Eccentrica Lunæ ab Ecliptica decedere; altera parte versus septentrionem, altera versus meridiem. Dum Luna evitat, conoidalem umbram Terræ & Aëris & ab Eclipsi sive defectu libera abit. Sententiæ huic præter innumeros alios, favet Hartmannus Bejer, in suarum Quæstionum de Sphæra, altera parte, ubi ait: *Fit Eclipsis Sole & Luna existentibus, in capite & cauda draconis, aut non procul ab ijs intersectionibus, Luna videlicet in cauda existente, Sole vero in capite, aut contra Luna in capite, Sole vero in cauda.* Principium sive terminum a quo, Eclipsios Lunaris, quod atti-

attinet, sic sciendum: principium Eclipsios Lunaris fieri a parte Lunæ orientali, qva etiam lumen eidem primò restituitur, cum Luna ab occasu in ortum progrediatur motu sc. proprio, qvo umbram ingreditur, ideoq; necesse est, ut orientali sua parte primum deficiat, & iterum emergat. In partialibus autem Eclipsibus si latitudo Lunæ est borealis, deficit pars ejus meridionalis, si latitudo australis, sic defectus est in parte boreali, Nam umbra Terræ & aëris semper est Soli opposita, Sol enim semper manet in Ecliptica, si igitur Luna in Eclipsi latitudinem borealem habet, necesse est, partem ejus australem ab umbra stringi & deficere, & contra. Qvanquam Lunæ defectus eodem momento temporis, eademque quantitate ab omnibus conspiciantur, super quorum horizontem Luna exorta est, numerus tamen temporis hujus diversus est, propter meridianorum varietatem, ob quam orientaliores semper plus numerant, quam occidentales. Sic E. G. Anno Christi 1497. die 18 Januarii observatum est, initium Eclipsios Lunaris Romæ hora 5. m. 24. post meridiem. Sed Noribergæ loco occidentaliori hora 4. m. 52. Hypotyposin Eclipsios Lunæ hic placet apponere, ut ha

Stenus dicta clariora evadant. In schemate hoc, a centro A telluris ductus circulus, prior viam Solis seu Eclipticam notat, alter vero. G. orbitam Lunæ repræsentat, reflexam in latitudinem utrinq; ab Ecliptica. Puncta intersectionū, circuli sunt D & A C g. Solis centrum ponitur E & ductis lineis orbem telluris tangentibus N. Q. & P. Q. patet eas in Q: puncto concurrere ac umbram terræ in coniformam desinere. Proinde Luna sua celeritate cursū Solis umbræq; multū superans cum dictam umbram penes C. nodum ubi amplior est quā Lunæ diameter, tran-



seat totalem ejus Eclipsin & quidem cum mora fieri necesse est. Quia Projectio umbræ centrum terræ A pro suo meditullio respicit, veri ergo luminis curfus non autem visi ratio habenda est, hic enim superficiem & locum observantis, ille vero centrum terræ unicè respicit. Essent perplurima in residuo quæ intervirent illustrationi præsentis materiæ, verum jubeor angustia temporis illa aliis relinquare. MO.

MOMENTUM TERTIUM.

PRO modulo ingenii enuncleatis definito & definitione, Eclipses Lunaris, recta ut ajunt via, ad pensitationem divisionis, quæ jam ordine erit evolvenda, animum convertam. Eclipses Lunares pro duplici respectu duplices sunt, scilicet Totales & Partiales. In illis tota Luna deliquium sui luminis patitur; In his pars aliqua Lunæ obscuratur. Circa hanc divisionem pauca notanda occurrunt: (*a*) allatam divisionem modo, non esse generis in species, sed Speciei in sua prædicata. (*β*) Eclipses totales subdividi adhuc in eas quæ fiunt cum mora in umbra terrestri, vel sine mora; Partiales quod attinet, sic in iis etiam medietas aut corporis Lunæ deficit, aut plus minus medietate. Varietatis hujus adferri solent infinitæ rationes, quas adducere supervacaneum duco omnes, cum quatuor quas communiter adferre solent eruditi, sufficiant. 1. Inæqualis Lunæ latitudo, sive ejus ab Ecliptica distantia, Major enim Eclipses ratione durationis & quantitatis minuit, Minor vero easdem auget. 2. Inæqualis umbræ terrenæ crassities. Terra enim, quæ corpore solari multò minor est, projicit de se umbram conoidalem, quæ quò altius attollitur, eò magis attenuatur, donec tandem in mucronem deficiat. Quo humilior ergo Luna incedit, eo crassiorem umbræ partem perambulat, Ex quo Eclipsis augetur; quò altior

a terra est, eo tenuiorem umbræ partem pertransit, unde Eclipses minuuntur. 3. Inæqualis Solis a terra distantia, quæ umbræ terrenæ crassitiem quoque variat; Sol enim quo in Apogæo remotior a terra, eo crassiorem & longiorem umbram efficit, eo tenuiorem & brevior, quo eidem propior est in suo perigæo 4. Quarta denique causa est, inæqualis Lunæ a Sole digressio vera; Luna velox enim abbreviat tempus durationis, tarda vero id diutius protrahit. Ex his jam adductis facile judicare potest quilibet, tam, quanta futura sit Eclipsis, quam Quamdiu duratura: æstimatur autem vulgò Eclipses Lunaris magnitudo digitis, quæ diametrum Lunæ 12 habere intelligitur: verum Quamvis ita vulgata hac consuetudine Diameter Lunæ dividatur instar pedis in digitos 12, quibus Eclipsium Magnitudo mensurari Solet; tamen umbræ ratione, quam Luna ingreditur, pluribus hujusmodi punctis & usque ad 23 digitos Eclipticos obscurari potest Luna, sic ut diutius duret Eclipsis, dum in umbra terræ, Luna tota occupatur, ac tardius lumen suum recipit, prout scrupula incidentiæ variant. Confer. Alstedii Uranomer. part. II. cap. XIII. & Micralii lexicon philosophicum. pag. 417. Quantitatem futuræ Eclipses invenire per calculum possumus, hunc in modum: latitudinem Lunæ subtrahere a summa semidiametrorum umbræ & Lunæ, quod restat converte in digitos Eclipticos hoc modo: Summa semidiametrorum.

Lunæ & Umbrae	- - - -	66. 37.
Latitudo Lunæ	- - - -	32. 12.
Differentia	- - - -	34. 25.
Diameter Lunæ	- - - -	35. 38.

Inde operare ita: ut 35. 38. ad 12. digitos Eclipticos:

ita 34. 25. ad digitos 11. s. 35. 27. De duratione Eclipses vide discurrentem Kexlerum in Astronomiæ suæ lib. 2. cap. XIX. præter ea tamen notandum aliquid circa finem & initium Eclipses. initium invenitur subtra-

cta dimidia duratione 51. 5. de tempore maxime obscurationis. Addita vero ad idem tempus 51. 5. Finem ostendet. Ex. Gr.

Tempus maximæ obscurationis Heidelbergæ.

	hora 1	52. 14.	p. m.
Dimidia duratio	- - -	51. 5.	
Initium Eclipses	- - - hora 1	1. 9.	
Finis Eclipses	- - - hora 2	53. 19.	

D

In-

Injungit recepta methodus jam etiam differam non-
 nihil de adjunctis, nec non modo inveniendi meri-
 dianorum duorum pluriumque locorum differen-
 tiam, ex collatione deliquii luminis Lunaris. Ad-
 juncta adeò multa communiter vendicantur, Eclip-
 sibus Lunaribus. verum mihi sufficiat tria hac vice e-
 numerare. Quorum primum est, Rubedo Corpo-
 ris Lunaris. Altera obscuratio Luminis tam totalis
 quam partialis. Tertium aëris intemperies, & mu-
 tationes in regno sublunari. Causantur equidem e-
 clipses mala certa, quia cum privetur Luna suo lu-
 mine, corpora sublunaria ad tempus beneficio in-
 fluxus destituuntur. Id tamen ita accipiendum,
 ne causis secundis multum tribuatur, & præcisè
 hunc vel illum effectum necessariò sequi ad Eclipsin
 contendatur; Nam experientia testatur, visis Eclipsi-
 bus sæpe fertilissimos annos secutos. Habetur etiam
 meridianorum differentia ex Eclipsium collatione,
 si primò observetur initium, medium & finis Ecli-
 psis lunaris, in duobus vel pluribus locis diversis.
 Deinde tempus conferatur minori subtracto a ma-
 jori, ut habeatur differentia. Tertio differentia in gra-
 dus mutetur, argumentando hunc in modum: Una
 hora dat 15 gradus, quantum dabit differentia. v. gr. 26. m.
 Resp. 9. gr. sit ex. grat. initium alicujus Eclipsis Con-
 stantinopoli h. 2. m. 28. post mediam noctem; Romæ
 h. 1. m. 24. Differentia erit horæ 1. & 4. m. Ergo
 meridianus qui transit per Constantinopolin, distat
 a Romano 16 gradibus.

Sed

Sed manum jam de Tabula, in qua pauca hæc, de utilissima, omniqve homini maximè necessaria, doctrina Eclipsium, ex optimæ notæ Mathematicis collecta delineavi, quantum permiserint ingenii tenues vires, & rudis Minerva. B. Lector a te humillimè contendo, hoc ut accipias exercitium in bonam partem, & mecum DEUM celebres, hominibus qui concesserat facultatem, suorum operum Majestatem contemplandi.

SOLI DEO GLORIA.

COROLLARIA.

Eclipses Lunares supputari & prædici possunt, si habeatur ratio certa Semidiametrorum Terra, Solis, Luna & umbra. Hæc habetur ex Solis & Luna elongatione a Terra, nec non visibili eorum Diametro.

Eclipses sunt verissimiliter signa imminentis novissimi diei.

Movetur Luna motu proprio circa tellurem, eam perambulando, obliquo incessu sub zodiaco, super ejusdem axe & poli. In consequentia sive secundum signorum seriem verò, ab occasu in ortum.

Lectione תָּרַחַיָּהוּ pro nomine essentiali DEI יהוה caret scriptura sacra fundamento, ideoqve merito habetur superstitiosa.

Visio

Visio vera & distincta non fit nisi in tempore sensibili.

Materia Solis & stellarum erat lux primigenia.

Indifferentismus moralis est variarum absurditatum mater.

Intellectus humanus mensuratur a rebus, ipse vero non mensurat easdem.

Via negationis sepe deducimur in rei notitiam.

In dictis scripturae allegandis, Philosophus observabit potius literam quam dianojan.

Anima separata est substantia spiritalis incompleta, sc. ratione ultimati modi subsistendi:

Anima de novo, homini non creatur, verum propagatur

Objectum proximum philosophiae practicae sunt actiones humane.

Historie finis essentialis est veritas, & Historia pertinet ad philosophiam practicam.

Nimrod erat Jupiter Belus, Nini pater.

